

BERNO AVGIENSIS ABBAS.

BErno in diuinis & humanis literis insigniter doctus fuit. Vnde abbas Augiensis monasterij ordinis S. Benedicti Constantiensis Diocesis electus fuit. Erat is insignis Poëta & Musicus, ita ut suo tempore in ea arte nemini esset secundus. Vnde ad Pili grinum archipræsulem Moguntinum de tonis, instrumentis musicis, & mensura Monochordi scripsit, præterea ad alios de uero usu ieiunij. Id etiam quod alios magno zelo docuit, ipse primus præstabat, ita ut apud S. Heinricum Imperatorem in magna authoritate uel absens esset. Vixit enim anno millesimo uicesimo secundo. Trit, in script.

